

et si quid acerbius inueniatur scriptum offenderis. non tam
mee nature quam stimulis podagre uergentis adscribe. Et
quidquid in scite. inepte. absurde occurrerit. sumpto cala-
mo dele. Ex urbe Roma quarto kal. Aprilis Anno domi-
ni Millesimoquadringentesimo quinquagesimo octavo.

De sub Friderico tertio eius nominis impe-
ratore/apud Europeos/aut qui nomine cristia-
no censentur insulares homines gesta feruntur
memoratu digna mihiq; digna tradere po-
steris quam breuissime libet commiscebimus/
aliqua interdum alius repetita quemadmodum locorum re-
rumq; ratio ex postulare uidebitur. Hungaria que Austrie/
Friderici patrie contermina est/et in orientem uergit prin-
cipium narrationis prestabit. Hanc prouinciam non nulli
pannoniam uocant/tanquam hungari pannoniorum loco
successerint. Uerum neque hungaria pannonie terminos im-
plet. Neque illa tam lata olim fuit quam nostra etate hun-
garia. Intra danubium enim et alpes Qui ad Italiam et
Adriaticum respiciunt mare pannonia continebatur. ab oc-
casu noricum/enimq; amnem. ab ortu mysos ac tribalos
et flumen sauum attingens. Intra quos limites Austrie ma-
gna portio clauditur. et a theutonibus incolitur. Stiria quoque
hisdem terminis continetur. Valeria quondam appellata. Hun-
garia uero quauis inferiorem pannoniam a fluuio leycha
usque sauum complectitur est. Danubium tamen transgressa ad
polonos usque protenditur. et que quondam arua tenuere ge-
pide dacique. possidet. Imperium gentis hungarie multo la-
tius est quam ipsa hungaria. Nam et dalmate quos schla-
uos/et illirique quos bosnenses. Tribali seu misij quos tum
seruios. tum rascianos appellant/et Bethi. quos partim
walachos partim transiluanos noiant/hungarorum impe-